

dum esse palam edixit. Cum igitur sancti Bonaventuræ cenobium ingressus esset, illico Ecclesiæ sacramentis muniri voluit, quibus admirabili fervore atque inexplebili animi gaudio susceptis, placidissime in Domini osculo quievit. Leonardi obitum plurima sequuta sunt prodigia, quibus rite probatis, a Pio sexto Pontifice Maximo idem inter beatos cœlites adnumeratus est. Novis deinde fulgentem signis, tandem Pius nonus Pontifex Maximus præclarissimum hunc verbi Dei præconem sanctorum catalogo accensuit.

R. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap. 10.*

In illo tempore : Designavit Dominus et alios septuaginta duos. Et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii
Papæ.

Homilia 17. in Evang.

Dominus et Salvator noster, fratres carissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando

vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus præcepta sunt : quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in prædicationem discipulos mittit ; quia duo sunt præcepta caritatis : Dei videlicet amor, et proximi : et minus quam inter duos, caritas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur : sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. v. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

LECTIO VIII.

Ecce enim binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit : quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur : quia prædicatione prævenit, et tunc ad mentis